



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 65. Pontificis studium in vindicandis Sedis Apostolicæ juribus in
Neapolis, & Siciliæ Regnis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

decoratus, parique gratitudinis testi-
 monio Cardinalium Carpii, & Alphonfi,
 qui ipsum beneficiis cumulabant, me-
 moriam celebrabat: denique edito di-
 plomate die sexto Octobris cunctis Diæ-
 cesium Episcopis præcepit, ut quilibet
 in sua Ecclesia unam, vel plures Sodalit-
 tates erigeret, quarum institutum haud
 abfimile esset Congregationi, quæ de
 doctrina Christiana Romæ pro juveni-
 bus imbuendis instituta erat.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1571.

§. LXV.

*Pontificis studium in vindicandis Sedis
 Apostolicæ juribus in Neapolis,
 & Siciliae Regnis.*

Idem Pius V. Thomam Orphinum
 Strongylanum Antistitem in Neapo-
 lis Regnum, in Siciliam vero Paulum
 Odescalcum Civitatis-Pernæ Episcopum
 ablegabat, ut hi utriusque hujus regni
 Ecclesias lustrarent: cum autem Magi-
 stratus hisce Prælati, nisi prius illum
 accederent, atque ab eo licentiam ob-
 tinerent, demandatum negotium exe-
 quendi facultatem denegaret, ac pa-
 lam declararet, quod juxta Monarchiæ
 jura Reges ex summi Pontificis privi-
 legio nati essent sacrae Sedis Legati,
 ac proin hæc jura violarentur, si am-
 bobus hisce Prælati suo officio defungi
 in-

*Gabut. in
 vita Pii V.
 Spond. n. 5.*

Sæcul. XVI. A. C. 1571. integrum esset, hinc summus Pontifex hanc repugnantiam edoctus in responsis dabat, quod id, quod Magistratum tanquam privilegium respicerent, potius corruptelæ, ac legum everfio esset, manifesta que usurpatio, sub cujus obtentu plurima contra divinum, humanumque jus attentarentur; potius ergo exillimata hæc privilegia producere, ac comprobare oporteret, cum aliunde ipsimet summi Pontifices omnium eorum, quæ ipsorum Prædecessores egissent, forent iudices, ac legitimi Interpretes, adeo, ut ubicunque aliqua irreperit morum corruptela, eam emendare eorundem esset, quin ullus sese opponere valeat. Verum hæc rationes, quæ nimium extendi videbantur, frustraneæ erant, quippe Reges, eorumque Ministri privilegiis sibi a Papa concessis immote insistebant: unde ex eorum pertinacia progressu temporis plures oriebantur controversiæ, adeo, ut litigantes partes nunquam plene ad concordiam revocari potuerint.

§. LXVI.

*Lutheranorum conventiculum Dresdæ
in Misnia celebratum.*

Pius V. longe majorem concepit dolorem ex infausto progressu, quem hæresis in Germania, Francia, Belgio, & alibi faciebat; præprimis enim hoc anno